



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 216. Quid circa locum & situm in orando.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

1319 §. II. In orandis Horis , uti in aliis præceptis Ecclesiasticis , quæ horam requirunt , attendi debet hora , quâ præcipitur , non præter propter sed ad momentum , uti explicatum est l. I. à n. 582. Quandonam autem censeatur esse momentum mediæ noctis , & quid tenendum sit , si sint plura aut etiam aliquo loco nullum sit horologium , videri possunt dicta hinc à n. 485.

1320 Q. 216. *Quid sit addendum circa locum & situm in orando. R. Hæc duo ,*

§. I. Non peccat , qui Horas submissè orat loco etiam sordidissimo , *Suar. de Orat.* l. 3. c. 7. n. 9. , *Stoz* l. 1. p. 3. n. 414. Etiam dum ventrem exonerat , *Angles* , *Trull Caram. Sanch. in Conf.* l. 7. c. 2. d. 44. *Sporer in Th. Sacram. de Horis.* n. 148. *Tamb. in Dec.* l. 2. c. 5. §. 6. n. 2. Ratio est , quia potest ibi mente orari , ergo & voce ; nec de se est irreverentia , Deus enim ubique est , ubique à se ipso & Angelis laudatur , nec plus sordes quam munditiem curat : Denique oratio dirigitur ad Deum sine ullo speciali respectu ad locum . Consilii tamen est talibus locis non orare vocaliter ; imò si quis temerè talem locum vel tempus deligeret , secundūm *Tamb.* & *Stoz* peccaret venialiter : quod etiam videtur velle *Alvarez de vita relig. Instit.* c. 5. dicens , licet vocalis oratio , si necessitas insitet , in quocunque loco possit fundi , quia tunc necessitas locum honestat , tamen si commodè fieri possit , locus decens eligendus est , ubi non peragantur abjecta ministeria , nam oratio vocalis , corporalis est sensuque perceptibilis , quā Deum exterius alloquimur , & cor nostrum quasi hostiam maculamus , unde requirit locum honestum decentemque , sicut alia sacra corporalia . Et ita etiam quamvis *S. Tb.* apud *Suar.* suprà pro oratione mentali nullum omnino locum excipiat , tamen

tamen addit, ad exhibenda externa orationis signa non omnia loca esse accommodata, sed oportere vel scandali vel publicæ ædificationis rationem habere.

¶ II. Nullus situs corporis est de præcepto, hinc 1322
sedere cum standum vel genuflectendum est, per se loquendo, non est peccatum, quia rubrica solum consilium dat ad majorem devotionem & reverentiam habendam, Tol. Fill. Bonac. Bass. Suar. de Orat. l. 4. c. 27. n. 2. Castrop. T. 7. d. 2. p. 4. n. 7. Regin l. 18. n. 79. Sporer n. 149. Ills. T. 5. n. 34. Stoß n. 415. Unde quando Nav. dicit peccari venialiter, si id non observetur, loquitur de oratione publica in choro, in quo peccatur venialiter, potius ratione scandali quam ceremoniae prætermisssæ, ita Suar. super aliique multi cum Sporer.

Q. 217. Quid sit notandum circa intentionem 1323
ad Horas prærequisitam. R. Seqq.

¶ I. Communissimè docent omnes, quod ab Ecclesia hic præcipiatur oratio, quæ sit verus Dei cultus seu actus religionis, quia Ecclesia vult hic satisfieri, non tantum voluntati Fundatorum, qui intenderunt cultum Dei, sed ab omnibus obligatis ad Horas, licet beneficiati non sint, vult satisfieri generali obligationi religionis seu colendi Deum per orationem nomine totius populi Christiani susam, ideoque expressè injungit Cap. Dolentes, de celebrat. Miss., ut divinum Officium studiosè celebretur & devotè, studiosè, inquit Glossa, quoad officium oris, devotè, quoad officium cordis.

¶ II. Certum etiam videtur, quod ad substantiam orationis & veri cultus Dei in recitandis Horis requiratur intentio aliqua ad Deum, nam prolatione externa verborum, si absit omnis relatio ad Deum, est res de se omnino indifferens: & ideo si ebrius recitat,